Ista quaestio desumpta est lib 1: 2: & 3 de Loc affectis

Simone Seguino, moderatore sapientissimo.

agitanda die mercurii 27 Junii

An redundantium humorum propria διάγνωσις?



CORPORI HVMANO tria praeter naturam insident, morbus, causa, & symptoma: hoc perpetuò sub sensum aliquem cadit: illa quoniam plerunque sensus effugiunt, certis signis innotescunt: ac morbus, excrementis, loci natura, proprietate doloris, & propriis accidentibus cognoscitur. Iisdem ferè notis, sed non solis, actione laesa, situ, pars quoque affecta dignoscenda. Causae morborum internae ferè sunt humores, qui siue exuperent, siue deficiant, vitio dantur. Exuperantia omnium aequabilis plethora est, vasorum distentione, lassitudine, mole, & grauitate corporis, dispnoea, somno graui, sudore multo inter dormiendum erumpēte, & virium oppressione molesta valdè periculosa, nisi phlebotomia, inedia, labore, cura & cutis transpiratione soluatur.

πολυαιμ

PLENITVDINIS quaedam species est πολυαιμία, sed in qua sanguis magis dominatur. Proindè calidis & humidis naturis, adolescētibus, cibo pleniore & euchymo vtentibus, otiosis & verno tempori omnium temperatissimo, ac saluberrimo familiaris esse solet. Hinc facies rubro colore suffunditur, sensus stupent, mens hebescit, mores sedātur, vrina crassescit, sanguis è naribus praecedente capitis grauitate, oculorum rubore, narium pruritu, & visus hebetudine profunditur, Synochus succēditur (sectione venae & potione frigidae curanda) crebrae fiunt inflammationes, & per cutem prodeunt exanthemata, quae pueris frequentiùs, & minore damno contingunt.



CAETERI à sanguine humores, quoties redundant, Cacochymiam pariunt: quae nisi singulorum coctione, vel etiam purgatione corrigatur, multorum morborum est procreatrix. Sed διάγνωσις curationem praecedat oportet. Prouentum ergo bilis (quae multa aestate, labore, dulcium & acrium ciborum vsu congeritur) indicant, In sanis habitus gracilis & macilentus, venarum amplitudo, color corporis & excrementorum flauus, calor acris, pulsus celer, ferendae inediae difficultas, acies ingenij, & iracundia: In aegris linguae amaror, cardiogmos, sitis, ἀνορεξία, corporis iactatio, aestus ingens, incendiorum insomnia, vigilia, ferox delirium. Maximè verò naturam humoris prodit morborum species, cùm febris ardens, tertiana, icterus, phrenitis, erysipelas, herpetes à bile nascantur.

CVM frigida & sicca Iecoris intemperies, lienis imbecillitas vel obstructio, aetas inclinans, autumnus, crassorum eduliorum, & salsamentorum vsus, tristis & anxia vitae conditio, plurimum succi melancholici accumulant; corporis habitus macrescit, cutis liuescit, aut nigra vitiligine conspergitur, pulsus tardatur, nigra sponte vel arte prodeunt excrementa, per vomitum, secessum, vrinas, fames vrget, flatus abundant, sinistrum tenditur hypochondrium, crura turgent varicibus, vel magno melācholicorum omnium praesidio fluunt haemorrhoïdes, horrenda terrent insomnia, metus & moestitia longo tempore perseuerant, & nisi victus ratione humida, & melanagogis cohibeatur, febris quartana omnium longissima, scyrrhus, melancholia, & similes affectus excitantur.



PITVITAM coäceruare solent frigida & humida temperies, pueritia, aetas senilis, hyems, victus plenior, fructuum & olerum esus, aquae potus, somnus longior, otium, loca humida & aquosa. Collectam & exuberātem arguunt mollis habitus & obesus, color albicans, glabricies, cita canicies, vasorū angustia, nausea, ciborum fastidium, βραδυπεψία, sitis vacuitas, vrina saepè tenuis, sensus, mentísque hebetudo, prompta obliuio, propensio ad somnum, capitis grauitas, somnia pluuiarū, ἀναχρέμψεις καὶ πτυελισμός. Cui vitio maturè occurrēdum est coctione, purgatione per phlegmagoga, cibis siccantibus, exercitio, hidroticis vt febribus Epialis, quotidianis, Oedematis, hyposarcae, paralysi, arthritidi, destillationibus, materia & occasio praeripiatur.

Redundantium igitur humorum est propria διάγνωσις.



Asserebat Georgius Cornuty Lugdunensis. 1581.